ORATIO

EX

HARVEII INSTITUTO

IN ÆDIBUS

COLLEGII REGALIS MEDICORUM


HABITA

DIE JUNII XXV; MDCCCXLV.

A CAROLO DAUBENY, M. D.

COLL. REG. MED. LOND. ET REG. SOC. SOCIO.

CHEMIÆ ET BOTANICES APUD OXONIENSES PROFESSORE.



OXONII:

E TYPOGRAPHEO ACADEMICO.

MDCCCXLV.

COLLEGII REGALIS MEDICORUM

LONDINENSIS

PRÆSIDI, SOCIISQUE

HANC ORATIUNCULAM

EA, QUA PAR EST, OBSERVANTIA

D. D. D.

CAROLUS DAUBENY.

ORATIO HARVEIANA.

SI ex vestrum numero, Socii ornatissimi, ii, qui solenni hoc munere, quod ego nunc adgredior, olim functi sint, non sine formidine quadam et perturbatione animi apud cœtum gravissimum, virorum, loco, prosapia, ingenio, insignitorum, his nostris Comitiis concionari solebant, quamquam fere omnes utilissimæ isti Arti, quam exercebant, a prima usque adolescentia impense operam dederant, quid mihi tandem animi in eodem adeundo officio esse oportebit, quem, a Medicinæ castris tanquam profugum, Physicarum Scientiarum amor, aut Otii Literati dulcedo, ad aliam vitæ normam jam tot per annos transtulit, ut ne inter Commilitones vestros recenseri merear ?

Et me quidem haud ita fefellit, quid ardui esset in isto opere, quidque a studiorum ratione in quibus totus sum, alieni—nedum etiam quam sim indignus, qui de Medicis istis, Apollineæ arti

deditis, qui hanc nostram Domum auxerint atque amplificaverint, sententiam meam aperiam, talesque etiam tantosque viros laudibus quamquam meritis accumulem.

Quamvis igitur, benevolentia vestra erga me jamdudum experta fretus, haud dubito, quin futurum sit, ut Oratio hæc nostra, a vobis, Socii, æquo atque indulgenti animo accipiatur, non tamen succedere oneri quod mihi imposuistis mentem induxissem, nisi sperassem fore, ut liberius spatiandi locus daretur, nec aut in semita hac angusta, ab antecessoribus jamdudum detrita, insisterem, aut in decantatis eorum laudibus qui artem Medicam plurimum locupletaverint, hodie immorarer.

Non quod minori admiratione et amore, quam reliqui, accendor in eos, quorum repertis nobilissima ars nostra crevit, vel quorum munificentia istius ædis quasi fundamenta jacta sunt; sed quod, sicut Poetæ proprium est Poetas laudibus efferre—utque Oratoris oratoriam vim et solertiam explicare—ita Medico, eique in arte sua instructissimo, Medicorum qui eum antecesserunt ingenium atque prudentiam perpendere, aptum et consentaneum esse opinor.

At memoria mihi repetenti mancam fore, et quasi nudam artem istam quam exercemus sine multiplici Scientiarum Physicarum supellectili—reputanti etiam mecum, ad morborum indagationem quantum conferat Chemia, quantum Mechanica, quantum etiam Botanica—neque absonum a vestris studiis, neque a proposito nostro alienum fore videbatur, si ad celebrandos eos, qui quamquam non magnopere in Medicina ipsa valebant, Ordinis tamen nostri ornamenta suo tempore exstitere, quippe qui Philosophiæ provincias, Medicinæ quasi conterminas, inventis suis locupletaverint, deflectat orationis hodiernæ cursus, atque de via trita aliquantum declinet.

Et me quidem, ut ad tale opus accingar, non studiorum meorum solum ratio, sed temporum etiam opportunitas impulit, quoniam in hoc nostro ævo Naturalis Philosophia ramos tam late diffudit, et tam uberi florum et fructuum proventu redundavit, ut jam reliquas prope artes et disciplinas alat atque obumbret—arboris ritu a divino nostro Poeta memorati

———————— " cui germina viva vigescunt
In terram deflexa, novis radicibus actis;
Et circa ingentem soboles densissima matrem,
Frondiferos statuunt arcus, viridesque columnas[a]."

Superiori enim sæculo, ut exemplo utar, si quis forte dixisset, nexu quodam et vinculo quantumvis remoto consociari Scientiam illam quæ nunc vocatur Magnetica, cum disciplinis quæ Medicinæ arti opitulantur—næ ille quidem delirare, aut ineptias effutire visus esset.

Nec quidem injuria—his enim temporibus quis vel levissima conjectura augurari potuit, viribus iisdem aut non plane diversis moveri Animalia, atque iis quibus Magnes Magnetem trahit; quis non pronuntiavisset, Fluidum illud, quod *Spiritus Animales* appellabant, quodque in Cerebro genitum, et Nervorum compagini inhærens, animæ internuncium esse commenti sunt, ab altero illo, quodcunque est, qui "coitioni," ut vocant[b], "Magneticæ" subministrat, toto cœlo disjungi?

Hodie autem, quum jam pedetentim atque gradatim exploratum habeamus, vim magneticam non alio ex fonte derivari, quam quo Fulminum ardor nutritur—Spiritum autem hunc, quem vocant

[a] Paradisus Amissus, Poema Latine redditum a G. Dobson.
[b] Gilbertus de Magnete.

Electricum, per integram materiæ molem perfusum, non inanimatis solum corporibus immisceri, sed viva etiam agitare atque movere[c]; quamquam non ea imbuti sumus philosophia, ut credamus, divinæ eam auræ particulam, quam principium et fontem vitæ esse ducimus, e materie quadam electrica ortum habere—concedimus tamen, hanc cum viribus corporibus nostris insitis cognatione quadam esse consociatam, ideoque subtilissimam illam Philosophiæ partem, quæ in Magnetis atque Electri legibus investigandis versatur, inter studia Medico convenientia esse recensendam.

Ne indignemini igitur, Socii, quod, prætermisso Harveio, Linacro, cæterisque, quorum præconia iterum atque iterum in hoc Theatro instaurastis, Gilbertum primum hodie vobis ante oculos ponam, qui quamquam, ut Medicus, operosis negotiis curisque nunquam non implicatus, Scientiæ tamen vacabat, Magnetisque indolem et proprietates, non miro solum ingenii acumine et constantia, sed, quod his temporibus inusitatum fuit, longo etiam experimentorum ordine perscrutatus est.

Ipse primus universo terrarum orbi vim ipsi propriam inesse docuit, et exinde profluere spiritum illum, (si quidem sit spiritus,) cujus ope chalybis et ferri materies Magnetica, ut vocant, Virtute dotetur.

Nec quidem ignoravit, huic atque illi ingenium inesse, quod ad hoc spectat, diversum atque dissimile, quoniam ex scriptis ejus intelligimus, Ferrum vim magneticam confestim et induere et exuere, in Chalybis autem venas eandem lentius penetrare, at diutius persistere.

Pyxidis etiam nauticæ naturam, et quo pacto fit, ut Magnes

[c] Vide Matteucci, "Traité des Phénomènes Electro-Physiologiques des Animaux," Paris, 1844.

Magnetem nunc fuget a se, nunc alliciat, commentis priorum spretis, neque aliis fretus oraculis, quam quæ Natura ipsa ab adytis suis effuderat, exploravit atque exposuit.

Præclarum scilicet virum, et Harveio, si quis alius, conferendum! non solum quod, Philosophiæ Verulamianæ signa præ se ferens, eandem viam ingressus sit, cui Harveius ipse tam felici augurio deinceps se commisit, sed quod, experientia duce et magistra, ille universæ naturæ arcana, hic admirabilem corporis animalis fabricationem, pari solertia et judicio perspexerit.

Ut enim per animantium corpora sanguis, sic per universum Naturæ corpus subtilior iste liquor, quem electricum vocant, infundi videtur, hic motuum, quibus fit, ut rerum semina inter se coalescant, ille vitæ et sensus, quibus viva a mortuis discernuntur, principium et fons.

Si igitur meritis laudibus cumulemus eum, qui circuitum sanguinis, a corde usque ad extrema corporis perpetuo gyro fluentis atque refluentis, primus omnium patefecit, nonne etiam honore dignus est hic, qui Liquorem illum, tanto minus sensibus nostris obvium, quanto magis sit tenuis atque subtilis, cujus quidem ope non sanguinis modo particulæ, sed omnium quotquot in terra nascantur, inter se consociari videntur, ita luminibus suis illustravit, ut abdita ejus natura tandem illucescat, cæcique meatus curiosis posterorum oculis subjiciantur.

Neque tamen Medicinæ artem neglexit Gilbertus, verum Elizabethæ Magnæ, æque ac Jacobi Regis, patrocinium nactus, magna apud cives suos existimatione, tam propter medendi peritiam, quam cognitionis copiam, floruit, ut constaret, non lege quadam necessaria dissociari Scientiarum Physicarum explorationem atque Morborum

curationem, imo unam atque alteram mutua ope sibi invicem opitulari.

Nec defuerunt e nostra Familia, qui hodiernis temporibus exquisitiores Philosophiæ partes pari industria atque solertia scrutati sint, inter quos, ut cæteros prætermittam, exstabat celeberrimus Youngius, vir omnigena Scientia atque eruditione pollens, qui nullum fere doctrinæ genus non tetigit, neque ullum, sive materie ab omni parte collata, sive inventis sibi propriis, non locupletavit, Matheseos, Astronomiæ, Chemiæ, Historiæ Naturalis, Linguarum tam veterum quam recentiorum, Artis Musicæ, Medicinæ, idem sagacissimus excultor.

Sed nobis in tam lato campo spatiantibus, si non patientia vestra, Socii, at certe vires nostræ deficerent; quis enim de tali viro digna loquetur, qui non acie mentis totum Scientiarum orbem complecti possit?

Qualem igitur se Naturæ interpretem præstiterit, Physicos; Antiquitatis, Philologos; Medicinæ, Vosmetipsos testes adhibebo.

In Optica scilicet quæ vocatur Scientia, ut vel adversarios ejus antester, probabilem certe de natura Luminis doctrinam excogitavit, et invitis atque præoccupatis suorum auribus ausus est committere.

Inesse quidem rebus, præter quatuor ista genitalia corpora, quæ vulgo elementa appellantur, quintam quandam essentiam, universo naturæ corpori immistam, et summam cœli partem amplectentem, quam Æthera Græci nominabant, vel ab ultima antiquitate innotuit:

Sic enim Empedoclem cecinisse accepimus

> Γαῖά τε, καὶ πόντος πολυκύμων, ἠδ' ὑγρος ἀὴρ,
> Τιτὰν, ἠδ' αἰθὴρ, σφίγγων περὶ κύκλον ἅπαντα [d].

His autem principiis fultus noster, quid sit Lumen, quo subtilissimo istius Ætheris motu propagetur, quaque fiat ratione, ut Undæ istæ Æthereæ, si discordes sint, tenebras, si concordes, lucem efficiant, ipse mira sagacitate atque astutia ingenii præmonstravit.

Nec minori solertia monumenta veterum exquisivit, quippe qui notas atque symbola saxis incisa, quæ ad mysteria annalesque suos posteris mandanda, usurpassent Ægyptii, cum jam per tot sæcula oblivione obruta jacuissent, atque vetustatis situ penitus abolevissent, felicissima conjectura e tenebris tandem in lucem revocaverit.

Rem nostram etiam, Socii, quantum auxerit atque illustraverit, indicio sunt Scripta quæ de Literatura Medica et de Phthisi Pulmonali effudit, in quibus tanta industria et labore opiniones omnium, quotquot a priscis temporibus ad nostrum usque ævum de morbis et medendi ratione disseruerint, evolvit, ut quæ in hac materie posteris mandavit, *Thesauros* potius quam *Libros* jure et merito nominare liceat.

Uno quidem anno—anno scilicet inter Scientiarum Fastos carbone, si quis alius, notando—tria Angliæ Lumina invida mors exstinxit; quo enim tempore clarissimus Youngius diuturno morbo oppressus est, eodem fere Wollastoni quod mortale fuit, terra natalis, Davii autem peregrina contexit—si quidem *peregrina* vero

[d] Clemens Alexand. lib. 5.

nomine appellari potest, quoniam tali tantoque viro Patria est, ubicumque Literæ atque Artes vigent.

Davio autem, Chemicorum quotquot in suo sæculo floruerunt facile principi, hic saltem loci nihil opus est laudatore, quippe qui te, insignissime Præses, dignum fortunæ suæ invenerit Præconem[e]; Wollastonum autem, quamvis in Medicinæ arte non ita versatum, nostrum tamen esse optimo jure nobismet gratulari licet.

Scilicet Wollastono ea fuit indoles, ut exquisitiores illas Philosophiæ provincias, quas summo ardore excoluisset, neque steriles, neque ab hodierno usu semotas esse vellet, sed ex umbraculis eruditorum devocatas in solem et pulverem produceret.

Novistis enim, Socii, quanta solertia, quantoque animi acumine, Chemia duce et facem præferente, vesicæ renumque calculos investigaverit, diversa eorum genera distinxerit, causas tam atrocis morbi explicaverit, et exinde rationalem medendi normam desumpserit.

Meministis etiam, quam curiose et sagaciter, prima veri initia, quando pullulare inceperant, ab omni parte odoraretur atque vestigaret, et quam sedulo incrementis ejus invigilaret.

Sicut enim Friendio laudi tribuitur, "quod illam attractionis "vim, quam in grandiori cœlestium mole perspexerat Newtonus, "rebus Chemicis accommodaverit[f]," ita Wollastoni famam auxit, quod in eruenda illa nova de Atomorum conjugio doctrina, quæ in suo sæculo primum innotuerat, ipse cum præclaro illo Philosopho se consociaverit, qui, si non æmulus sit Newtoni, (quis enim tanto nomini par sit aut secundus?) at certe hominum qui nunc sunt proximos illi honores in rebus Physicis occupavit.

Postquam enim Daltonus nova Philosophiæ suæ rudimenta expo-

[e] Vide Dr. Paris' Life of Sir H. Davy.

[f] Halfordi Oratio Harveiana, 1800.

suerat, et quasi crudam ejus effigiem in lucem protulerat, noster primo quasi intuitu veram esse et naturæ accommodatam intellexit, neque unquam cessavit, quin aut experimentis eam confirmaret, aut auctoritate sua aliis commendaret.

Inerat etiam Wollastono ea perspicacitas, ut quæ communi hominum sensui parum obvia essent, ea statim animo arriperet atque complecteretur; sicut enim ex repertis ejus accepimus[g], esse quasdam Chordas, quæ sonos edant, quibusdam animalibus vocales, cæterorum vero auribus omnino non percipiendas, ita ex ipsius exemplo docemur, inesse rebus Notas quasdam, quæ, quamquam præ nimia sua tenuitate vulgi captum fugiant, discerni tamen atque intelligi possunt, si modo Philosophum scrutatorem sui atque interpretem invenerint.

Hactenus, Socii, Magistros earum disciplinarum memoravimus, quas inter ipsa Medicinæ instrumenta non temere numerari licet, ut enim sine Musis Apollinem, ita sine Scientiis Physicis Apollineam istam Artem quam exercemus, viduam esse et invalidam, nemo hercle his diebus inficias ibit, nisi cui jam decennium integrum dormivisse contigerit.

Prodiit enim e Scholis et Academiis, quibus Germania, ingenuarum artium non infœcunda parens, nunc temporis scatet, animosa quædam juvenum cohors, amore, nescio quo, Philosophiæ accensa, quibus propositum est, collatis inter se viribus atque consiliis, corpora tam vegetabilia quam animalia accuratius atque altius perscrutari, principia eorum eruere, secretioresque formas in lucem proferre.

[g] Philos. Transact. "On Sounds Inaudible To Certain Ears."

Quorum cœptis, Pallas, si ita dicam, tam benigno numine affulsit, ut ingeniosissimo Liebigio duce atque magistro, Naturam, Protea illum, quum jam in mille rerum miracula sese transformavisset, arte sua tandem irretitum atque vinctum, propriam speciem induere, et vaticinari coegerint:

> "Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
> "Eliciuntur, et eripitur persona, manet res."

Exinde rusticis iis artibus, quæ colendis agris, et pecudibus pascendis saginandisque inserviunt, nova lux effulsit; exinde plantarum vires atque indoles melius enotescunt; et, quod nostra plurimum interest, sperandum est, nisi vana quadam veri specie decipimur, fore, ut humani corporis fabricatione retecta, legibusque ejus rite perspectis, non ramos tantum morborum amputet Medicina, sed etiam ad stirpes ipsas, radicumque fibras evellendas, tandem sufficiat.

Atque in hac re, Socii, bene et providenter factum a vobis esse existimo, quod quo tempore ægre ferretis Civitatem hanc nostram communicari cum iis, quos in peregrina quadam Academia institutos, alienigenas esse judicabatis, e paucis tamen ascriptitiis civibus quos in familiam vestram tunc recipistis, duo Medicorum nomina inveniam, qui in Chemica arte præcipue præpollebant.

Ex Babingtoni enim exemplo satis constat, severiores eas Musas atque Hygieam arcto quodam amicitiæ vinculo inter se consociari; quippe quem, Scientiarum patronum, necnon et cultorem, Societatis Geologicæ a primis usque incunabulis fautorem, Chemiæ magistrum, Physicorum qui in suo sæculo et urbe floruerunt, amicum

atque hospitem, in exercenda tamen Medicinæ arte peritissimum fuisse atque instructissimum, uno ore omnes confitebantur.

Hic, jam provectiore ætate, civium, quibus, tam propter morum amœnitatem, quam vitæ benignitatem, in deliciis erat, ex oculis ereptus, posteris exemplar vitæ, amicis vero materiem dicendi satis amplam reliquit.

Quid autem, Socii, de altero illo Viro, vivo adhuc et florente, loquar, quem ob eximiam suam in Physicis Scientiis famam, ordinibus vestris adscripsistis? quibus laudibus cumulem insignissimum Proutium, mihi quidem amicissimum, atque omnibus qui Medicinæ operam navarunt in observantia habitum, cujus egregiam in vitiis vesicæ, renum, alvei, exquirendis, perspicacitatem atque solertiam, eo libentiori animo vobis ante oculos pono, quod præclaras istas dotes animo ejus instillasse existimem, communem illam utilium disciplinarum et artium Nutricem, Chemiam?

Et profecto virtutes eas, quas in Collega hoc nostro multos ante annos perspexistis, posterior ætas jam ampliori testimonio confirmavit.

Quum enim a nobilissimo Comite[g] testamento provisum esset, ut ex universo Angliæ regno octo homines eligerentur, qui de Dei Optimi Maximi providentia, benignitate, potentia, dissererent, et argumentis, ex admirabilitate rerum tam cœlestium quam terrestrium, ex arborum et herbarum molitione, ex animalium fabricatione, deductis, cæteros ad pietatem, et ad rerum divinarum contemplationem inducerent, nemini non dignus videbatur Proutius, qui in illustre hoc virorum ingenio et doctrina præclarissimorum Collegium, cooptaretur.

[g] De Bridgewater.

In hoc tam caro capite longius immorari libenti animo ferrem, sed me reprimo, egregii viri, qui huic Domo nuper præfuit, exemplo et auctoritate monitus, præconia hæc nostra non nisi mortuorum manibus esse proferenda [h].

Absit autem, procul absit a vobis, Socii, ea animi exilitas, ut illas solas Scientias, quæ, ut supra diximus, quasi *instrumenta* Medicinæ sint, in honore habeatis, aut disciplinam ullam, quæ in cognitione rerum versatur, dissociandam a nostris institutis, aut alienam judicetis.

Quomodo enim humani corporis fabricationem intelligere potest, qui non etiam cæterorum animalium structuras calleat; aut animalium, qui non plantas etiam contemplatus sit?

Botanicos igitur qui hanc nostram Domum illustraverint, non ideo solum in honore habendos esse credo, quod nova medicamentorum genera invenerint, aut vetera accuratius exploraverint—id enim fortasse Pharmacopolæ potius quam Medici proprium est—sed quod sine Plantarum cognitione nullo modo perfici, aut numeris omnibus et partibus expleri posse putem, pulchram illam Naturæ imaginem, quam contemplari, quam oculis haurire, quam summa observantia et studio colere debemus, sicut antiquissimum illud Veneris Genetricis simulacrum, non effigie humana, sed Pyramidis figura adumbratum, basi orbiculata infinitum Naturæ circuitum referente, apice vero cœlos versus protento [i].

Et profecto in hoc nostro Collegio, optima tam bonarum Artium, quam Medicinæ nutrice, nunquam non exstitere, quibus Physio-

[h] Halfordi Oratio Harveiana.

[i] Vide Taciti Hist. lib. 2. "Simulacrum Deæ non effigie humana: continuus orbis "latiore initio tenuem in ambitum, metæ modo, exsurgens, et ratio in obscuro."

logia, hoc est, rerum naturæ contemplatio atque cognitio cordi esset, quique sola discendi cupidine impulsi, tam plantarum, quam animalium fabricas curiose atque sagaciter exquirerent.

Quo enim tempore celeberrimus Raius herbarum notitiam ab aniculis atque a circulatoribus ad scholas eruditorum hominum transtulerat, quoque Morisonus, ipse etiam ordinibus nostris adscriptus, Horto Botanico a nobilissimo Comite de Danby nuper fundato usus, methodum suam Plantarum Oxoniensibus exposuerat, haud alio Grewius noster omnia quæ de structura vegetabilium tunc temporis innotuerant in unum congessit, et admirabilem illam Telam, Natura Artifice confectam, quam in singulis earum partibus conspexerat, industria atque diligentia sua ita retexuit, ut dædala illa cellularum atque vasorum compages exinde fabricata in lucem tandem prodiret, et ante oculos omnium explicaretur.

Grewio etiam laudi est tribuendum, quod doctrinam illam, qua posterius in insatiabili plantarum varietate inter se dignoscenda ingeniosissime usus est Linnæus, ipse promulgavit; quippe qui, "globulos illos, sive Pollinem, ut vocant, quos Stamina per maturitatem effundunt, spermatis masculini instar, seminibus fœcundandis inservire, ac proinde partem maximam plantarum utriusque sexus participem esse, ostenderit."

Quamquam igitur haud dubium sit, quin a longinquo ævo increbuerit opinio, esse plantas, quarum aliæ semen absque flore, aliæ florem absque semine producant, ut inter arbores, Palmæ Dactyliferæ, inter virgulta, Salicum exemplo constat; quamquam etiam vel ex veteribus Poetis quædam excerpere liceat, quæ opinionem eam innuere, atque imperfectam veri imaginem adumbrare videantur[k]—longe tamen abfuit, ut hujusce ævi Botanici crede-

[k] Vide Claudianum, "Vivunt in Venerem flores," &c.

rent, omnia, quotquot in terra nascuntur, quibus vita suppetit, Veneris, ut aiunt, imperio obsequi, atque animalium ritu, utriusque sexus inter se congressu propagari.

Quæ sententia, quantum ab hominum opinione tunc temporis abhorreret, vel Raium ipsum testem adhibeamus, cui quidem, in rebus Physicis novarum rerum cupido, et naturæ interpreti, si quis alius, sagacissimo, doctrina tamen illa, quam de Pollinis usu protulerat Grewius, "verisimilis tantum esse" videbatur, et "ulteriori adhuc confirmatione indigere[l]."

Et profecto inter primitias Horti istius antiqui, in cujus mentionem jam supra incidimus, liceat mihi recensere opinionem illam de sexu plantarum, quam tuebatur Grewius, quoniam ex ipsius scriptis constat, Millingtonum, qui in Academia nostra Oxoniensi tunc temporis Professoris vicem gerebat, si non istius doctrinæ auctor fuerit, certe tamen fautorem ejus atque patronum sese præstitisse[m].

Nec absurdum mihi videtur aut incredibile, inter sylvas has Botanicæ Scientiæ dicatas, certissima deprompta esse argumenta, quibus innixus sit noster, quibusque conjecturam suam de Pollinis usu incredulis Oxoniensium auribus commendare ausus fuerit Millingtonus.

[l] Vide Ray, Historia Plant. Introd. vol. i. p. 18.

[m] The primary and chief use (of the dust or pollen) is such as has respect to the plant itself, and so appears to be very great and necessary; because even those plants which have no flower, or foliature, are yet some way or other *attired*, so that it seems to perform its service to the seed, as the foliature to the fruit. In discourse thereof with our learned Savilian Professor, Sir Thomas Millington, he told me, that he conceived that the *attire* doth serve as the male for the generation of the seed. Grew, Phil. Transactions, Lecture on the Anatomy of Flowers, Nov. 6, 1676.

Nec silentio mihi prætermittere fas est insignissimum illum Sloanium, eundem tam nostræ Domus, quam Societatis Regiæ Londinensis, olim Præsidem.

Quo quidem nemo, ut opinor, omnium qui in Societate hac nostra floruerunt, arctum illud quod inter Scientias Naturales atque Medicinæ Artem intercedit consortium, aut exemplo aut auctoritate sua melius confirmavit.

Juvenis adhuc, et discendi studio accensus, ex Americæ Equinoctialis insulis, ubi natura, quicquid pulchri, quicquid magnifici, quicquid prodigiosi habeat, libera manu effundit, novas tam plantarum, quam animalium, species domum reportavit, primusque intentis civium suorum oculis eas subjecit.

Provecta ætate, Medicorum istius ævi princeps, cum jam honoribus et rerum omnium copia floreret, Naturæ tamen, cui a primis usque annis se addixerat, nunquam in pectore ejus frigescebat amor.

Itaque Templum, Naturæ, seu potius Naturæ Opifici Optimo Maximo, dicavit, spoliisque ab omni terrarum orbe ope sua comparatis instruxit, atque ita tandem ampliavit, ut Musæi Britannici nomine dignatum, inter maxima Londini ornamenta jure et merito recenseatur.

Necnon etiam Hortum illum Chelsiensem, plantis medicinalibus refertum, quem Pharmacopolarum Societatis proprium esse voluit, perpetuum munificentiæ suæ monumentum reliquit.

Sed ad recentiora tandem perveniamus, quamquam me Domus hujus Fastos volventem piget confiteri, neque Botanicos istos, Dillenium scilicet, atque Sibthorpium, qui Hortum nostrum Oxonien-

sem plurimum illustraverunt, neque Martynum qui Cantabrigiæ floruit, in familiam nostram esse adscitos.

Attamen huic Domo non defuit ornatissimus ille Botanices apud Oxonienses Professor, Georgius Williams, vir, propter singularem morum comitatem, et vitæ benignitatem, desideratissimum, cujus multiplicem eruditionem atque dicendi copiam, quam ex promptuario animi sui largitus est, nemo est inter familiares suos qui non grata memoria prosequatur.

Nec cum Botanicos istos commemoremus, qui tam Academiam nostram, quam Domum hanc, ingenio aut repertis amplificaverint, obliviscamur Matonum, virum probum, simplicem, sincerum, in omni Medicinæ parte instructissimum, et singulari in operibus Naturæ indagandis diligentia præditum.

Qualem se plantarum, conchyliorum, imo etiam mineralium, investigatorem atque venatorem præstiterit, meministis omnes. Nec vobis excidat, quod non famæ suæ, sed discendi penitus studio consulens, abundantem illam doctrinæ copiam, quam tanto cum labore congesserat, non sibi ipse conditam servabat, sed aliis libera manu suffecit.

Sibthorpii alumnus, celeberrimo illi Professori in Flora Græca, atque in Flora Oxoniensi exaranda, si non gloriæ, at certe laborum ejus participem sese præstitit; Lamberti amicus, cum jam splendidissimum illud "de Genere Pino" volumen in lucem prodibat, ipse quotquot in isto libro reperiantur, aut ad usus stirpibus his proprios, aut ad vires medicas iis insitas spectantia, larga manu impertivit.

Mihi vero, Dillenii, Sibthorpii, cæterorumque qui Hortum no-

strum apud Oxonienses tam felici augurio administrarunt, non Ingenii et Doctrinæ, sed Officiorum atque Honorum Heredi, recordari libet, quam benevole, quum jam dignitatem hanc a vestris manibus, Socii, expeterem, Matonus ipse votis meis secundaverit: quamquam enim vobis singulis grates agam atque habeam, quippe qui Professorio munere, quo nunc perfungor, vestro omnium suffragio dignatus fuerim, mihi tamen in hac re maxime gloriari liceat, quod qui inter sodales nostros principem in re Botanica locum tenebat, eum in hoc Munere ambiendo præcipuum Fautorem invenerim.

Matoni quidem, cæterorumque Collegii istius Decorum, quos nuper exstinctos jam desideramus, Imagines vivas ante oculos vestrum omnium versari, et diu mansuras esse spero—nec in hac solenni Benefactorum nostrorum celebratione, cum laudibus toties prosequamur eos, qui iniquo tempore, aut Domum hanc a profanis manibus redemerant, aut redemptam, pecunia, libris, aliaque supellectili, dotaverant, præterire fas est ea altera Civitatis nostræ Sustentacula, quorum ope Ars Medica ad dignitatem Scientiæ tandem evecta est, et quorum gloria in nosmetipsos redundavit.

E talibus enim tantisque Civitatis nostræ Luminibus universo Collegio affulsere indies fama atque existimatio—exinde accessit nobis patrimonium, nec civili tumultu, nec iniquis rerum publicarum mutationibus minuendum—at Societati huic, in prosperis decus, in adversis columen et tutamen.

Si quid enim e temporibus, in quæ nunc incidimus, periculi his institutionibus exoriatur, si in hac ordinum omnium procella, etiam res nostra, Medici! in dubium revocetur, quo præsentiori

adversus hostiles impetus propugnaculo uti possimus, quam avitis Majorum nostrorum virtutibus—quomodo aversos civium animos erga nos in melius inclinari posse existimetis—quam si militiæ nostræ Tropæa in medium proferamus—Tropæa, non exterarum gentium strage, sed Morborum dira propagine a genere humano depellenda, antiquitus parta.

Non quod ea sim indole, ut nihil addi, nihil detrahi, nihil immutari in veteri norma patiar—vetustatis enim ratio est habenda, et rerum necessitati obsequendum—sed quod in hac pristinæ disciplinæ instauratione (si quidem instauratione ea opus sit) nullo modo derogandum puto de iis studiis, quæ, vel ad animos juvenum recte informandos, vel ad rerum naturæ causas evolvendas, conducant.

Quoniam enim paucis abhinc annis Senatui Populoque nostro visum sit, ut in hac ipsa Urbe novum quoddam exsurgeret Templum Musis et Apollini dicatum, iisdem Privilegiis dotari novam hanc Academiam, quibus gaudeant antiquiores istæ, quæ apud Oxoniam atque Cantabrigiam florent, non patienti solum sed etiam lubenti hilarique animo acciperem, modo ex institutis ejus provisum sit, ut qui exinde profecti in ordines nostros cooptentur, iis disciplinis sint exculti, quibus sublatis, Ars nostra nihil fere aliud fit nisi doctrina circumforanea, a triviis, ut aiunt, collata—imo vero qui Medicinam exercent, quamquam apud nos glorioso *Physicorum* nomine gestiant, a communi tamen circulatorum et præstigiatorum grege prope abesse videntur.

Sic Antiquitati suus honos tribuatur, sic novis rebus morem geramus, sic postera ætate, si oras quando Britannicas invisat peregrinus hospes, haud aliæ a pectore ejus eliciantur voces, quam

quas, ut perhibent, nuper emisit Borussorum Rex, qui, perlustratis antiquioris ævi Monumentis, recentiorisque Miraculis, quæ in hac Urbe atque Vicinia undique glomerata inter se atque commista appareant, ad suos exclamasse fertur: "Beata Tellus! ubi quicquid "novi vetustum est, quicquid vetusti novum." "*Glückliches Land,* "*wo das Neue alt, und das Alte neu ist*[m]."

Manet, Socii, adhuc manet apud vos, integra atque intacta ampla ea, quam diximus, literarum atque ingenuarum artium hæreditas, quam in perpetuum conservare, et, ut potestis, locupletare, vobis, ut præcipuæ sit curæ et consilio, oro atque obtestor.

Quæ autem ut ex voto meo succedant, enitendum est, non solum, quod inter Collegas nostros, ut nunc, sic in posterum, semper extent, qui in ipsa valetudinis curatione principem apud sui sæculi Medicos locum jure sibi vindicent; verum etiam, ut e Domo hac nostra, veluti ex almæ nutricis gremio, nunquam non prodeat, generosior ista proles, divino quodam afflatu instincta, quibus præcipue cordi sit, artem ipsam medendi in altiorem gradum promovere, et in iis disciplinis primariis esse, quæ vel Naturæ cognitionem in melius provehant, vel quæ liberalem hominem deceant.

Sed quid plura—quoniam hac in re vos omnes de Republica nostra idem mecum sentire, vel ex eo ipso augurari liceat, quod quos ex ordinibus vestris desumptos novissime eligeritis, ut in hoc Collegio Præsidis officio fungantur, et Medicinæ quasi Antistites

[m] Ita pulchre dixit Rex Borussiæ, interprete insignissimo Bunsen: "Blessed is the "country where the old is ever new, and where the new is ever entwined with the "old."

fiant, alterum in Literis Græcis et Latinis exercitatissimum, alterum Scientiarum Physicarum studio florentem, invenerim.

De egregio illo Viro, qui ad Civitatis nostræ gubernacula, felici, ut spero, augurio, anno superiori accessit, ut præsenti, et honoribus suis nondum perfuncto, hic loci tacendum arbitror, quamquam mihi, Physicis istis disciplinis addicto, gratissimum atque acceptissimum sit, quod Præsidem tandem habeatis, qui et ipse Chemiæ sit cultor, et socium comitemque sese adjunxerit iis, qui in nobilissima ista Scientia aut nunc florent, aut olim præpollebant.

Halfordi autem, quem nuper deflevimus exstinctum, non tam limatum judicium, et exquisitam peritiam, quam in Re Medica adhibuit, memorare libet, quam singularem illum studiorum Humanitatis et Literarum amorem, Latinique Sermonis leporem et venustates, quibus fortasse, pace vestrum dixerim, cæteris Familiæ nostræ adscriptis omnibus antecellebat.

Nec quisquam putet, aut faciliores has Musas, quas ad supremum usque diem tam feliciter excoluerat Halfordus, a severioribus illis quæ Medicinæ arti ancillantur, implacabili quodam dissidio separari, aut mentem duriusculis istis disciplinis informatam ab elegantioribus Literis, imo etiam a Poetica ipsa, abhorrere.

Quod ad Literas quidem humaniores attinet, hoc modo dicam, quod qui disciplinis istis recte sit imbutus, eum crediderim vel ad causas rerum exquirendas aptiorem fore, et quasi admirationis quodam ardore correptum, Naturæ adyta vehementiori studio esse rimaturum.

At vero, qui Philosophiam ita tractat, ut non in obscuro quodam Scientiarum angulo plus nimio inhærescat, sed, si res suppeditet, quædam ex singulis Naturæ regnis delibet, is qui-

dem, ni fallor, vel ab ipsa rerum contemplatione sensum quendam Profundi atque Infiniti in pectus adhibet, qui sublimiores animi affectus excitet, qui Phantasiæ flammam accendat, qui ad Rem Poeticam denique mirum in modum animum temperet atque inducat.

Itaque vel Lucretium, quamvis eum a Religione ipsa longissime amovit pestifera ista, quam a Magistro Philosophiæ suæ acceperat, doctrina, e Naturæ ipsius indagatione diviniorem quasi afflatum, et rerum cœlestium quandam significationem, hausisse credideritis.

> "His tibi me rebus quædam divina voluptas
> "Percipit, atque horror, quod sic Natura, tua vi
> "Tam manifesta patens, ex omni parte retecta est."

Et profecto vivida illa vis animi, pulchriora quam quæ præsto adsunt captantis, et ad majorem rerum ordinem assurgentis, vel apud viros severioribus illis studiis, quæ Medicum deceant, addictos, haud raro emicuit.

Quis enim non meminit egregii illius Vatis—nostris quoque ordinibus adscripti—qui voluptates ex Phantasiæ fonte haustas, tantis verborum ponderibus, tantaque imaginum sylva, versibus suis exposuit, quique, Lucretii instar, mediam quandam regionem, inter Philosophiæ atque Poeseos Regna sitam, mixtamque ex utroque Cœlo temperiem nactam, sibi propriam vindicavit.

Denique ut hac in re præclarum mihi Testem appellem, virum scilicet, neque studiis nostris devinctum, neque nimio Scientiarum Physicarum amore corruptum — egregium nempe Rei

Poeticæ tam Magistrum, quam Censorem, qui nuper "de Poeseos Vi Medica" opus exegit—larga quidem doctrinæ copia abundans, et cum disciplinis illis, Medico propriis, quæ curandis animi vitiis inserviant, cognatione quadam conjunctum, aurea quædam dicta ex ipsius Libro excerpta hic loci proferre liceat[n] :

"Non caret sua quadam Poesi ne abstrusior quidem illa Mathe- "maticorum ars et ratio, nedum eorum, qui in Physica exercentur, "atque in externa hac terrarum cœlique pulchritudine.

"Est in utroque genere quod magis ac magis miretur aliquis, quod "prosequatur cum amore et desiderio, quo in arcana, nescio quæ, "spatia evehi et abduci se sinat animus : Mathematicis videlicet sua, "quam vocant, Analogia, abditæque numerorum et magnitudinum "rationes, alia post aliam in infinitum excurrentes ; Physicis, simili- "tudinum ingens copia, plurimæque occultarum virium significa- "tiones.

"Utramque provinciam qui ita colit, tanquam venerabile aliquid "tractet ac sacrum, tanquam mirando ferme majorem quam inveni- "endo habeat voluptatem, illi profecto viro dixerim non male præ- "parata fore pectora, vel ad Poeticam, vel ad ipsas Religiones."

[n] Keble Præl. Poet. XXXV. vol. ii. p. 711.

FINIS.